

Af


6029



277 56
Bibliotheca
funestissimo fato, Martis sevitia,
Bellonae ferocitate, Vulcani furore
ignivomo, devastata ac funditus
deleta: Berolini restaurata.



De. 11.



EPISTOLARVM
SELECTISSIMARVM

LEIBNITII
SCHVRTZFLEISCHII
THOMASII
SCHILTERI
SEBAST. SCHMIDII
JOBI LVDOLPHI
JOH. BVXTORFII
CLODII ET
MOLANI

DE CAS.

EX AVTOGRAPHIS NVNC PRIMVM
ERVTA,

PRODROMVM

MAIORIS OPERIS SISTENS,

CVRA

FRID. GEDICKII.

V. D. M. PRAESID. ET ERGAST.
SPANDOV.

BEROLINI

APVD J. J. SCHÜTZ. C1919CCXXXV.



EPISTOLARVM

SELECTISSIMARVM

FRIBURGH

SCHEFFELER

THOMAS

SCHULTZ

SEBAST SCHWAB

JOH LUDWIG

JOH BUCHNER



EX AVTOGRAPHIS MANU SCRIPTO

SCRIPTA

PRO DOMINA

MAIORIS OPERIS SISTENS

1757

FRID. GINDICK

V. D. M. P. RESID. RE ERGAST

SPANDOV

FR. RO. L. W.

FRID. U. SCHULTZ. C. I. S. C. O. C. K. S. S. E.



VIRIS
SUMME VENERANDIS
EXCELLENTISSIMIS, DOCTISSIMISQVE
MICHAELI ROLOFFIO

S.S. THEOL. DOCTORI.
POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI
A CONSILII SACRIS, BEROLI-
NENSIVM SACRORVM AN-
TISTITI SVMMO,

ET

JOH. PETRO SÜSMILCH

EIVSDEM SENATVS SACRI CONSILIARIO,
SACRQRVM COLONIENSIVM PRAESV-
LI GRAVISSIMO, ET ACADEMIA-
RVM REGIARVM CVRATORI,

THEOLOGIS,
DE RE SACRA PARITER AC LITTERA-
RIA INMORTALITER MERITIS,

STATORIBVSQVE
FORTVNAE MEAE PIE SVSPICIENDIS
FELICITATEM!



VIRI
SYMME VENERABILES
EXCELLENTISSIMI
PATRONI
AETERNA RELIGIONE
PROSEQVENDI

Quod pietas, quod obseruantia dudum exstare
uoluit, fidei suæ publicum documentum, his
tandem pagellis **VOBIS** sacrum statuo, uereque
oppignoratum sisto. Quamuis enim Vestros ipsæ uix

(3

fine



sine rubore ferant oculos, aliena nimirum, uilissimo munere, obferentes; falsa tamen mola, quum desint thura, litandum potius, gratissimamque prius uoluntatem, animi indicem, uel ipsismet **Vobis, Patroni Deuenerandi**, rite testandam duxi, quam insignia tot fauoris beneuolentiæque **Vestræ** documenta cordis intra penetralia diutius celare. Nec etiam religiose minus quondam sacra celebrabant, qui de parua acerra tribus digitis paucula quædam grana, quam, qui thuris integram lancem foco iniiciebant. Non etenim uirium mearum tam audax æstimator sum, ut uerbis uel aliquam gratiarum partem, consequuturum me sperem, quas **VOBIS** æternum debet, debebitque animus deuinctissimus, pietate saltem Patronis satisfactorius, & obsequio. Mori enim omnino uetat musa, tot olim, totque in dies apud me collocata beneficia, quæ sane, donec hos reget spiritus artus, animo numquam excident, eruentur numquam. Cui ergo potius, quam **VOBIS, Viri**, pagellas hæc inscriberem, quorum splendore, quidquid ipsis gratiæ forte deest, tute sibi conciliatum fore gestiunt?

TIBI



TIBI imprimis, **VENERABILIS RO-**
LOFFI, uere Parentis loco æuum colende, Tibi
omnino, quem in Speneri immortalis uices post sua lustra
e uoto jam suffectum ueneramur, & ipsa Speneriana, &
tanto uiro, qua orbis patuit, ab aliis sacrata, præcipuo
quodam iure tribuenda putarim, jam tributa. Quemque
fugit Theseum amicitiae fœdus, quo Lütkenio suo,
Spenerus arctissime coniunctus erat? ut pari iure
TIBI, VENERANDE SÜSMILCH,
qui nunc, munia illius olim, dignissime ornas, ad Spene-
rum hæcce, tradam.

At quorsum ego? Neque in publica commoda pec-
care aüssim concatenata negotia uestra curasque pro rei sacræ
æque ac litterariæ felicitate excubantes male moraturus. Ne-
que ipsummet spatium spatiosissimum pietati quamuis
disertissimæ uotis sufficeret, e uoto pro **Vestra, Viri**
Summe Venerabiles, incolumitate concipiendis,
ipsis uotis nostris longe superiore. **Valete igitur,**
Parents,



Parens, Patronique optimi, bonorumque omni-
um uincite uota cælum expugnatura & fauore Vestro,
quo mihi nil sanctius erit quidquam, dignamini

SVMME VENERANDORVM
NOMINVM VESTRORVM

SPANDOVIAE

DABAM

Calendis Octobris

CICICCCXXXV.

Cultorem ac clientem
deuotissimum

FRID. GEDICKE.





Beneuolo Lectori

Salutem faustaque quæuis.



Orientem adorare solem, diris uero deuouere occidentem, quod Deorum cultoribus, Cimmeriis superstitionis tenebris colluctantibus, olim admodum erat solemne, nosmet, quibus clarior nitet lux, ex animo omnino execramur. Tantum igitur abest, ut tumulos illustrium maiorum irreuerenter transeamus, occasumue magnorum eruditi orbis fiderum minus obseruemus, orientes tantum stellulas admirantes, ut potius post fata uirtuti quoque lauros suas promeritas decernere bene ac decenter soleamus. Habet nimirum ætas nostra, innumera habet, quæ sibi posterisque gratis impense gratuletur. Non etenim tetrico uultu inuidia adhuc scriniis incubat, egregiis maiorum monumentis refertissimis; non auri nefanda fames, reliquias doctorum Sybillinorum instar, pretiosissimo ponderat uectigali; non inuidus fastus propilæa Mineruæ Sacrarique plus simplici Memnonis columna insignita, Jasonis præda sanctius, obserat

A

imagi-



imaginesque fumosas ac scripturas indigno squalore obduci finit. Vicit potius inuidiam sapientia suosque cultores liuida tabe immunes e uoto expugnauit. Patent hinc Palladis sacraria ubiuus, patent reconditissima; quæque catenis olim claustrorumque uinculis compingebantur, spissa uolumina, publica iam luce donata, gratulabundi intuemur. Honori hinc ducunt iamiam uoluptatique, uiri, saniora quibus præcordia finxit numen, recondita passim doctorum monumenta, tenebris indigna, luci dare, publicoque hoc scœnore, Apollini Musisque sacro, innumeros sibi deuinciunt. O tempora sane fortunata, felicissimis olim longe superiora. Quem etenim fugit celebratissimos uiros paucissimos ingenii sui fetus, ipsismet uiuis adhuc, euulgare, sed plures maxime ultima poliendos lima, publicandosue, amicis nepotibusque tradere? qui tamen ipsi haud rarius tempore & occasione præpediti proposito excluduntur. Neque etiam latet peritiores quosuis, epistolas doctorum uirorum mutuo cum alijs collatas iniquissimam subinde fortem inprimis pati, ac tinearum uermiumque condimentis, aut uenalium tegumentis dari, ipsis ne dicam flammis indignissime substerni. Nesciunt enim homunciones illi pretium quibusuis a uere eruditis consignatis rite statuendum, neque secus, ac uulgus, sapere contendunt. Sapiunt autem probeque norunt emunctioris naris quotquot, quæ ignorant isti. Norunt illi, doctos, suauiter litterarum commercio, notatu digniora quæuis inuicem cum alijs communicare, proutque nullam sine linea diem, nullas ita epistolas absque sale & condimento facile ablegare. Norunt illi, priuatis hisce epistoliorum parietibus tuto committi posse, quæ propalare omnino timerent. Norunt, uel dictionis ornata lepidæque, uel rerum delectu habito, utrumque in epistolis doctiorum inueniri, repeririue debere, quibus & delectare & prodesse cupiunt. Laudabilem ergo operam posuerunt, & nunc ponunt, quotquot tam præclara ingeniorum monumenta non sancte solum asseruanda, uermiumque ab iniuria aliusue sortis indigna tuenda; uerum, quod summa est, publica etiam luce honestanda curarunt.



rarunt. Neque enim iustum est, ut de uirorum tanto laudum fastigio positorum scriptis intercidat quidquam, qui & ætatem suam præclarissimis studiis consumserunt & scriptis maxime dedolatis posteritati consultum uoluerunt. Versantur inde sub manibus nostris tot egregiæ, quamuis posthumæ, lucubrationes sat lucernas olentes, totque eximii epistolarum fasciculi, suasmet laudes decantantes. Viuunt hinc in nostris annalibus celeberrima *Kortholtionum*, *Kappiorum*, *Gruberorumque* nomina, quibus inæstimabile cymælion epistolarum summi *Leibnitii* debemus, egregiis suis collectionibus posteritati oblatum. Non is ego quidem sum, qui se pede suo metiri nesciat, & uirium suarum ignarus, leuidenses hosce conatus illorum præstantissimis adsociari cupiat. Iuuat tamen ac prodest, magnos quoque imitari, uestigiaque quantumuis prægressa laudabili uirium legere contentione.

Licuit mihi nimirum tam felici esse, ut tritas quasdam schedas B. patris sciscitanti insignis apparatus epistolice epistolarum celeberrimorum auctorum uarii ordinis facultatisque in manus incideret, quorum iam Decadem Beneuolo Lectori sisto. Auctores illæ agnoscunt plurimos celeberrimos uiros, itidem uiro nostratium Theologorum principi ac sanctioris doctrinæ uere Atlanti, *Spenero* inquam, consecratæ sunt, quas iterum abscondere rosisque scriniis abdere, religionem merito duxi; auctoresque mihi fuere fautores & amici doctissimi, ut hæc typis exscribenda publicique iuris facienda curarem. Promulsidem ergo potius, quam Prodromum, maioris operis sisto, quæ si saluam mouerit cordatioribus doctarum reliquiarum amicis; operosiori collectioni pariter, quantum per officium sat onustum ualetudinemque licebit, manus addere nullus detrectabo. Imparem equidem numerum epistolarum huius alteriusque auctoris asseruo, prout ipse eosdem uel pauciori uel crebriori commercio ad respondendum *Spenerus* inuitauit; aliquot etiam annos tantum tangunt, quum forte in alias manus cetera uolumina peruenerint; quæ tamen adsunt sat multæ, omnes ferme,



uel temporis uel rei sanctioris, litterariæ & ciuilibus tunc statum, fataque mirifice illustrant; ne de plurimarum elegantia dicam, quæ suos sola iam allicit & demulcet lectores. Vel ex his ergo, uel subsequuturis, iudicet Lector Beneuolus, quid sit, *ex ungue leonem*. (*) Ut uero nomina celebriorum huiusce apparatus epistolici auctorum, Lectori constent; alphabetico sic dicto ordine, nullo dignitatis munerumue delectu habito sic accipiat: *Antonius, Val. Alberti, Arropæus, Altingius, F. Gerb. & Christ. Arnoldi, Arcularius, Job. Wilh. Baierus, Bucelinus, Andr. Barthius, Job. Christ. Bëcmanus, Balbinus, Bebelius, Nicol. Bergius, Breithaupt, Boeländer, Boeclerus, Bogdanus, Botfacus, Erasmi. Job. Brochmandus, Brodtbequius, Job. Buxtorfius, Brunnemannus, Bürcklinus, Clodius, Calouius, Janus Chytræus, S. B. & Job. Bened. Carpzouii, Dassouius, Dambauerus, Difenbach, Dillherr, Duræus, Edzardus, Esentwein, Ahas. & Job. Frischii, A. H. & F. Sim. Franckius, Fechtius, Job. Fabricius, Feller, Frischmuth, Faber, Job. & Isaac Faustii, Freinsbemiis, Forstnerus, Franckensteinius, Frommannus, de Fasold, zum Fürstenstein, Gezelius, Gramsius, Grabouius, Gerdesen, Job. Jac. Gesnerus, Grosgebauer, Greenius, a Gemming, a Greiffencrantz, Hartmannus, Haberkornius, Hannekenius, Thom. Hasuis, Harprechtus, Hannemann, von der Hardt, Heroldus, Hertius, Hinckelmannus, Horbius, Handelius, Job. Andr. & F. Ludw. Hochstetteri, F. A. & Georg Hildebrandi, Hopferus, Höslin, Henningius, ab Hobberg, Baro de Herizberg, & Herberstein, Jacobi, Jägerus, Jenischius, Johannsen, Imhofius, Junta, Jangius, Kortboltus, Knorrius, Kleschius, Chr. Andr. & Theod. Kirchmaieri, Balt. Köpckenius Rud. Fr. Knichen, Köberus, Job. Fried. Kettnerus, Keckius, a Klettenberg, Jo. Wilh. & Just. Jac. Leibni-*

(*) Conferri omnino hic meretur *Morbofius. Polybist. Litterar. Lib. 1. c. XXIII. §. 9.* dicens: Illud suaserim, si quis hanc operam sumere uelit, ut eruditorum litteras, hinc illinc in scriniis nonnullorum latitantes perquirat, atque in unum corpus compingat, alioquin perituras. Na is optime de re litteraria meretur. Conf. etiam c. XXVII, integrum fere de Epistolis ineditis eruditorum.



Leibnitii, Jobus Ludolfus, Georg Lami, F.W. & Wilh. Lyseri, Lisco-
 -nius, Leichmerus, Leutwein, Christ. & Joh. Sigfr. Lehmanni, Lauter-
 -bach, Layritius, Lucius, G. Langius, Masius, J. F. & Gerhard Maye-
 -ri, Morellus, Molanus, Meisnerus, D. G. & Caspar Molleri, Dan. &
 Joh. Jac. & Heinr. Mülleri, Meelführer, Joh. Burch, Joh. Georg & Joh.
 Henr. Maji, Miegius, Mithobius, Model, Meschmannus, Meltzelius,
 Nüschius, J. H. Ottho, Obrechtus, ab Oppel, Joh. & Joh. Gottfr. Olearii,
 Adam & Luc. Ofiandri, Vinc. Placcius, Pregitzer, a Pröck, Potzerne,
 Peteresen, Pomarius, a Pöllnis, Christ. Prætorius, Preitten, Paulus Pater
 A. Pfeifferus, Joh. Balth. Ritterus, Rittershusius, Rechenbergius, Rebha-
 -nius, Rothmäler, Rosteuscherus, Rudraufius, Reckardus, Richardi, Rum-
 -pelius, Balth. Raith, Reimesius, Reiserus, Raunerus, Ringeldörfer, Ren-
 -nepager, Schurtzsteisch, Schilterus, Christ. Schraderus, Tom. Steger, Spech-
 -tius, M. Joh. Jac. & Wilh. Ludw. Speneri, filii, Segerus, de Schweinitz,
 Stengerus, Stellerus, Scheiblerus, Salzmannus, Stüblius, Scribonius,
 Soldanus, Balth. Scheidius, Schudt, Schelwigius, Siirnius, Siberus, Se-
 -bast. Schmidt, Joh. Schefferus, Schlüterus, Stollius, Sellius, Sutorius,
 Andr. & Mich. Sennerti, Schellenbauerus, Salenius, Spitzelius, Theod. &
 Joh. Schneideri, Straussus, Siroblius, Scherferus, Seyfried, Strauchii,
 Sagittarius, Jac. & Christ. Thomasi, Chr. Teuberg, Tribbeckovius, Töp-
 -ferus, Veiel, de Vernoy, Vorbergius, Verpoortenus, Wagenfeilius, Was-
 -muth, Wedelius, Widerus, Wildius, Gottfr. Wegnerus, Tob. Wagnerus,
 Joh. & Tob. Winckler, Mich. Waltherus, Weslingius, Joh. Georg & Lebr.
 Wilckii, a Wolfffels, Wandalinus, Weidlingius, Const. Wolffsius, Willemer,
 Wolfhardus, Ziegra, Zabarella, Casp. Zieglerus, Zobelius, Zellerus, de
 Zanis, Zeidlerus, Abr. & J. Ad. Zinckii. Hæcce nomina! quid litte-
 -ræ, manusque? Valere ergo juberem Beneuolum Lectorem perpe-
 -tua felicitate, iustissimis nisi uotis iustissimam adhuc petitionem sub-
 -nectendam præfigendamque arbitrarer. Credimus nimirum, & iure
 credimus, unum alterumue doctissimorum uirorum eiusmodi
 thesauros epistolarum ineditarum scriniis suis sancte con-
 -dere easque uel ob raritatem uel proprium usum ab impres-
 -sione

sione prohibere. Et forsan offendent hæ pagellæ eiusmodi custodes prouidissimos, qui supplementis suis augere hunc apparatus egregie, communique mecum utilitati collectione editioneque eorum obstetricantes manus porrigere possent. Numquam uero nobismet persuaderi patiemur, fore, ut faustissimis hisce artium scientiarumque ubiuis ferme efflorescentium temporibus, incrementi quidquam inuideant, quod tamen impressione eiusmodi epistolarum omnino insigne exlaret. Quodsi ergo, Viri Amplissimi, Fautores Optimi, Vestrum quisquam ab iisdem auctoribus alias exaratas epistolas asseruet, obseruantissime rogamus, ut earundem nobis copiam faciatis benignissime, tutissimam remissionem cum gratiarum actione deuinctissima pollicentes. Ita enim eueniet, quod cordatiores mecum quiuis ex animo uouent, ut altius semper radices agant scientiæ, maioraque in dies capiant incrementa; ut memoria summorum uirorum, quos musa uetat mori, undique e uoto renouetur, uel ipsismet litteris eorum nunc erutis, suauissimo nobiscum commercio eosdem loquentes conuersantesque audiamus. Ita Vale, Beneuole Lector, nostrisque conatibus, quantum in te est, promouendis, uel ipsorum auctori, sin merebor, faue. Spando-
uix e museo, Calendis Octobris MDCCLXXXV.



DE-

DECADIS EPISTOLARVM AD SPENERVM

I.

Spenero J. G. Leibnitius. S.

Moguntia $\frac{27}{11}$ Decembr. 1670. Præsentis anni exitus affectum uotis testari iubet, idque ego hac occasione facio, cœlitusque Tibi uires precor corporis animique ei muneri pares, quo in salutem animarum amplissime exerceris. Clarissim. *Horbium* ualde amo, doleoque ei cum ualetudine sua non satis conuenire, quamquam eum extra periculum fore non dubitem. Litteris eius nihil potest euenire mihi dulcius, nihil præsentia ipsa, si eam sperare licet, optatius. Certe eam si dilatum non ablatum tamen iri spero. Quare si rursus scribendi occasio est, rogo, eum a me prolixissime salutes. Quod me *speciminis huius iuris naturalis* participem reddidisti, gratias ago ingentes. Valde delector auctoris non bona tantum uoluntate, sed & intelligentia argumenti, quod sumsit in manus. *Grotium* certe diligenter legit & cum fructu. Video dictionem etiam esse non paulo puriorem, quam qua uulgo uti solent, quod apud me eruditionis semper indicium est. *Methodi* duo semper genera agnoui, alteram *diuisuam*, alteram *scientificam* atque, ut sic dicam *demonstratiuam*; illa *Rami* est, hæc *Euclidis*, utraq; suo loco utilis. Ac *demonstratiuam* quidem hætenus in moralibus præter *Thomam Hobbiū*, sed qui in multis ingenio suo abusus est, adhibuit nemo. *Diuisua* in hoc specimine non ineleganter expressa est. *Diuisua*, connectit terminos per diuisiones, *demonstratiua* connectit propositiones per demonstrationes. Ceterum an auctor specimen hoc uberiore aliquando tractatione uestire uelit, discere ex ipso specimine non possum. Si hoc ei consilium est; potero fortasse, si tanti putat, communicare meum



meum ei in nonnullis, non quidem consilium, hoc enim parum de-
 cet non rogatum, sed saltem hortamentum præbere. Celeberrimi
Puffendorffii Corpus iuris naturalis sub prælo sudare dudum mihi
 perscriptum est. Vidi & schedam, qua methodus eius adumbraba-
 tur. *Musei Chiloniensis liber de syncretismo fugiendo* prodiit, &
 audio *Wittebergenses* iam ad refutationem accinctos. Ita est scili-
 cet, nos inter nos pugnamus; *Walenburgios*, *Frommios* aliosque
 eius generis insultare nobis impune patimur. $\frac{1}{3}$ to huius mensis
Coadiutorem hic electum *episcopum Spirenses*, idque unanimibus
 suffragiis non ignorabis. Eadem die *carmine aliquo lusi gratulato-*
rio, cuius aliquot exempla mitto, siquidem legi meretur. *Electo-*
*r nudi*us tertius rebus ex sententia confectis *Herbipolim* hinc abiit.
 Publica negotia in incerto sunt inueniasque, qui dicant, *Ducem Lo-*
tharingie seniore *Colonia* ab *Episcopo Argentoratensi* amice ad-
 modum tractari, ea potissimum spe, posse *Ducem*, auxiliis imperii
 desperatis, omnibusque in nepotem inclinantibus, qui tamen mo-
 ras necit, exarmatarum ditionum restitutione ad *Gallicas* omnino
 partes trahi. *Colonienses* pariter & *Argentoratenses* nondum me-
 tum deposuere. *Crecquius Brisacum* scribitur & *Philippopolim* iturus.
 Vale faueque.

II.

Eodem Auctore.

Mogunt. d. $\frac{1}{16}$ Aug. $\frac{1}{16}$ Sept. 1670. Iter meum uereor ne intercipiat belli illa
 tempestas, quæ se contrahit, quare nec de eo mentionem fieri
 uelim. Ampl. *Boeclerus* scribit *Horbium* nostrum mox *Argentorati*
 fore, quod an Tibi quoque compertum sit, scire peruelim. In iis
 litteris, quas a Te curatas ad me dedit, scribit *Capellanum* epistolam
 a Te, cui adiunctum aliquid mei de *Jurisprudentie emendatione* fue-
 rit, tum quidem accepisse nullam, quod miror. Sed tamen inte-
 rea

reâ perlatam spero. Idem *Horbius Böclero* scripsit de uiginti & amplius *Duchefniorum* uoluminibus edita esse tantum quinque, cetera hodieque apud hæredes a se uisa expectare editorem, pari cum *Vorburgicis*, et si magna in instituto est diuersitas, fato. *Clsf. Winkelmannus* misit *lls. Boineburgio* litterarum copiam, quas ad *Seuerissimum Electorem Palatinum* dedit, cuius indignationem incurrerat, quod in recudendo *Heluici* theatro ubique per inscriptiones columnarum *Reformatos, sacramentarios* salutasset. Excusat uero sese exemplo auctoris ipsius, qui dudum ita fuerit loquutus ipsosque *Anglos* in editione *Londinensi* hoc epitheton tulisse aperit. Fuisse tamen sibi mutandi animum, cuius uestigium in ipsa impressione appareat, sed ob distantiam locorum, quum ubique monitor non adesset, priora a Typothetis retenta esse. Vidi nuper litteras ætate anniculas, a *Patre societatis quodam ex India* scriptas, in quibus distincte refertur, denuo emergere in *China* societatis fortunas, Mathematicarum in primis scientiarum instrumento, quas *Chinenses* ut maximi faciunt, ita non satis tamen intelligunt. Destituunt enim in *Astronomia & Theoriis & obseruationibus* tam exactis, quam sunt nostræ, sed & *Ephemeridum* subsidio carent. Igitur quum captata aliquando occasione *Patres*, qui hætenus latuerant taciti, in *Calendario Chinensi* uitium esse monuissent, fuissetque eorum prædictio cælo teste confirmata; *Rex* eis *Calendarii noui conficiendi negotium* dedit. Vnde magnam sibi auctoritatem, multiplicesque fructus pollicentur. De re publica atque imminentibus malis ad Te scribere nihil attinet; solent enim talia citius rectiusque ad Vos perferri. Plura ab *lls. Boineburgio*, qui recuperata, quæ Dei est gratia, sanitate ad uos excurret, disces. Vale.

III.

C. S. Schurzfleischius Spenero.

Wittenb. d. 10. Ianuar. 1680. Haecenus tacito suspensoque animo recti laudabilisque studii, quod in pietate instauranda ponis, euentum expectaui: sed multi, quod peracerbe doleo, aut inuident Tibi hanc gloriam, aut mali praefractique sunt, ut nihil minus uelint, quam pietatis studium, quo aeterna, nec peritura gaudia sentiuntur. Tu uero strenue &, ut soles, etiam prudenter perge, ne habeant uel inueniant, quod Te pietatis alumnis ullo nomine inuisum reddat. Indiget, fateor, ecclesia emendatione: corruptelae passim sunt, & licentia dissolutique mores quorundam mentes animosque sic inficiunt, ut prope nesciam, quali modo remedium sit quaerendum. Domitor monstrorum, *Hercules* sit, qui uel in Academia, quae pietatis seminaria appellantur, *Augie* istud stabulum expurget; quod alii utilitatis causa conuiuent, alii offensam metuunt, reliqui aliquid nomine suo dignum suscepturi tantum non deridentur atque exploduntur. Haec fabula est rerum humanarum, quum agitur de seriis, immo, quum de aeternis, quorum si iacturam faciamus, nihilo feliciores sumus bestiis, quae omni sui parte intereunt, penitusque collabuntur. Gaudeo autem uehementerque laetor ex urbe *Francofurtensi* ad nos dimissos esse iuuenes probos ueracque laudis cupidos, & Tui nominis maxime studiosos, inter quos *Disenbachius* nuper magno cum auscultantium applausu disputauit. De utrisque *Orthiis* nihil addo, quoniam & uitam & studia pie sapienterque instituunt & moderantur. Nec honore suo fraudandus *Faber* est, qui assidue hic cum doctis fuit, & *Opponenis* partes multum & frequenter expleuit. Illi enim mea opinione ineptiunt, qui sibi *Suffeni* sunt, uanaque persuasione se decipiunt & intempestiua fiducia ad ineptos conatus efferuntur, rati, in profluente nec
gra-

grauiter cohærente sermone omne eruditionis momentum esse positum, rerum certo usu & interiori sapientia destituti homines, sed ad stultitiam usque inflati. Qui de magnis uiris quum existimant, tum inscitiam produnt; uti apud Græcos quondam uulgus iudicare consuevit, dum artifices certarent. Interim Tu, Vir magne, feliciter age, & Dei honorem uindica & constanter, pro tua moderatione prudentiaque, feliciter propugna, æmulosque & inuidos Dei opes fretus uince & cum *Harrimanno*, *Horbioque* hoc certe maximum negotium feliciter perfice, nec spe, quam de *gentilitiis insignibus* fecisti, nos diutius frustrare.

IV.

Chr. Thomafius Spenero S.

Lipsiæ d. 10. Nouemb. 1686. Quod scrupulos in lectione pagellarum mearum subortos haud grauatim communicare uolueris, debita gratiarum actione agnosco. Ac uti ex litteris Tuis sinceritatem ac prolixum in me affectum fusissime cognoui, ita, ne quid dissimulem, dolui ualde, in *Institutionibus* meis *Iurisprudentiæ diuinæ* ea tradita esse, quæ Theologiæ non consonent quæque Ecclesiæ ac publicam pacem turbatura sint, & Theologorum censuram, acerbam eam quidem, mereantur. Horruui, profecto, lecta epistola Tua incogitantiam meam & quod per supinam aliquam negligentiam inuito mihi exciderint, quæ tantas turbas concitare apta forent; & uel ideo horruui, quod facile uiderem, Te, *Patrone maxime Reuerende* non posse non multum ita remittere de bona opinione, si quam forte de me conceperas, cui tamen tamquam Theologo genuino & maxima apud nos auctoritate ex merito pollenti mea studia præprijis commendare uolebam. Sed profecto quum legerem etiam obseruationes Tuas, spes maxima me erexit iterum, fore, ut si re-



sponsiones meas sis lecturus, æquius iudicium de me & scopo meo ferres. In plerisque enim uidebam, Tecum me omnino sentire, in plerisque deprehendebam mihi consentientes Theologos orthodoxos, in multis denique uidebam quæstiones subesse in utramque partem disputabiles, uel ad Theologiam parum pertinentes, uel hæctenus probe discussas & ita nouam turbam in Ecclesia minime parituras. Facile tamen Te habebam excusatum, partim, quod breuitas mea, qua usus sum in institutionibus ansam haud dubie dedit expositioni uerborum a mente mea omnino alienæ; partim, quod ut ipse coram factus es, negotia Tua ardua & promotionem pietatis in Ecclesia concernentia Tibi non permiserint lectionem controuersiarum hæctenus inter *Pufendorfium* & eius aduersarios agitarum. Qua propter subnixè rogo, uelis in meliorem partem interpretari ad tuas obseruationes, quas remitto, responsiones meas, extemporaneas quidem & quales labor meus quotidianus permisit; unde simul excusabis scribendi genus inpolitum, & si forte uerbum aliquod præter opinionem calamus ibi posuerit non bene conueniens cum summa, quam Tibi debeo, reuerentia. Neque enim Tecum disputationem instituere & litigare animus est, sed eum in finem illas saltem transmitto, ut opinionem de me Tuam, quam enixè ueneror, si pote, restituum in integrum, & ne forte sinistrius Tuum de scriptis meis iudicium censoris mei Summi *Bornii*, mentem a me alienet, atque præter intentionem tuam censuram eiusdem impediatur quum facile prouideam, fieri potuisse, ut ipse inter familiares sermones mentionem scripti mei iniiceret. Ceterum uti modo fecisti, ita ut & in posterum ex sequentibus plagulis, quarum aliquas iam tum mihi & reliquas suo tempore mittam, ulteriores obseruationes Tuas haud grauatim, pro commoditate tamen Tua, mihi communicare uelis, summopere oro ac quemadmodum non despero, responsiones præsentis finem, quem intendo, consequuturas esse, ita ut & me & studia mea Tibi commendata esse in posterum uelis ex animo precor. Deus te seruet.

Respon-



Responsio ad dictas obseruationes.

Ad. 1. dum p.9. insitut. mear. dico: pactum numquam obligare, non is sensus est, ac si consensum duorum uel plurium non sequatur obligatio. Contrarium enim prolixè declarabo in peculiari capite de fide seruanda; sed id uolo: obligationem, quæ pactum sequitur, non oriri ex ipso consensu, sed ex uoluntate legislatoris seruationem promissorum iubentis, ut fortius contradicerem *Hobbefio* ultimo uim obligationis ex pacto deducenti. Non uideo igitur, qualis sit differentia inter has phrasas, siue dixerim: *Legem obligare mediante pacto*, siue, *pactum obligare uigore legis*. Vtraque enim ni fallor, id intendit, legem quidem citra pactum obligare posse, sed pactum non obligare, si tollas legislatorem. Igitur etiam nec mea phrasis contradicet dictis scripturæ obligationem ex promissis toties inculcantibus & omnium minime dicto *Deut. 23. v. 21, 22. 23.*

Ad. 2. dum p.10. legem æternam uoco figmentum *Scholasticorum*, non rem respicio sub hoc termino denotatam multo minus ipsam iustitiam diuinam aut ordinem naturæ. Hæc enim ἐν τῶν ὄντων ὄντων esse, quis diceret, nisi Atheus crassus? Sed hoc dico: ipsam legis applicationem, qua utuntur *Scholastici* in exponendo conceptu suo esse improprissimam, seu, ut in obseruatione est, ἀκρολογίαν esse in uoce legis. Neque arbitror absurdam esse loquutionem meam. Quod enim improprium est, cur non id fictum dicere possim?

Ad. 3. An bestię sensu careant annon? quæstionem mere philosophicam arbitror adeoque alterutrum horum, quod placeat, salua Theologia statui posse, æque ac in huic affini quæstione, de ratione beatorum. Qua propter etsi unum alterum-

quæ quoad expositionem doctorum *Ierem. 5.* & *Sir. 27.* addere possem, nolo tamen in alienam messem immittere falcem. Sed potius hoc loco eandem adhiberi posse puto responsionem, quam usurpaturi essent omnes Philosophi, qui communissimam sententiam, quod bestię ratione careant, sequuntur, si quis ipsis dictum seruatoris obiiciat de prudentia serpentum & simplicitate columbarum.

Ad. 4. Canon: Nihil esse in intellectu quod non prius fuerit in sensu, ita tritus & uulgatus est, ita in omnibus *Peripatheticorum* Physicis existat, ut metuere non possim, eam ad *ἐπιηματα* pertinere Theologiæ non consonantia. Obiectionem ex *Rom. 11.* responsio tollet ad punctum. 8.

Ad. 5. Regulas de imputatiuitate actionum humanarum omnes intelligo de foro humano. Tracto enim in toto hoc libro Iurisprudentiam, quæ pro ultimo fine habet tranquillitatem humanam conseruandam per legum exsequutionem & iustitiæ administrationem. Adeoque non contradico Dominis Theologis eorumque doctrinæ de imputatione peccati originis in foro diuino. Præterea puto canones, quos in Institutionibus posui, non peculiare esse *Pufendorfio*, unde hausi, sed communiter fere in libellis ethicis deprehendi, potissimum illum, de quo agitur in obseruatione.

Ad. 6. Dum statuo p. 48. quasdam leges diuinas salutem hominis in hac uita intendere, immediatam intelligo intentionem. Ita me ipsum cap. 2. explico §. 125. & 138. Ergo non nego omnem legem diuinam, quæ æternam salutem intendit, simul salutem in hac uita intendere, nego saltem quod immediate intendat. Id uero plane impium esset, si statuerem quamdam legem diuinam intendere hominis malum temporale



rale, quorum uidentur spectare uerba ultima obseruationis: modo reuera intelligamus in quo hominis salus sit &c. Neque puto ullum tamen iota uerborum meorum huic expositioni fauere.

Ad. 7. Quæstio de imperio coniugali in statu integritatis ad proprie Theologicas, cuius affirmatio & negatio heterodoxiam inferat aut scandalum patriat in Ecclesia, non pertinet. Vnde quemadmodum non prætendo, ut eruditi opinioni meæ affurgant, ita nec hac parte opus esse arbitror ad argumenta obseruationis, responsiones, quæ mihi non desunt, prolixè afferre, aut in commentariis Theologorum nostrorum, qui cum mea sententia faciant, inquirere. Vnus instar omnium sit *Megalander* noster, qui ad *Gen. 3. p. m. 49.* ita inquit: *At si Heua in ueritate sterisset, non solum non subiecta imperio uiri esset, sed ipsa quoque socia fuisset gubernationis, quæ nunc sola masculorum est.*

Ad. 8. Quæ hic de differentia inter tabulam rasam & nudam admonentur, approbo & per tabulam rasam intelligo nudam communi hodie philosophantium usu. Quod uero pro defensione doctrinæ *Scholasticorum* de principiis connatis adducitur; obiectio ex *Rom. 11. v. 15.* ad eam iam dudum respondit *Iacobus Martini*, Theologus, ut puto, orthodoxus, *Partit. Metaph. sect. 3. qu. 4.* Nec alienus est a meâ sententia *Osiander*, in *typo legis naturæ p. 130. & p. 158.* Quin audio plures ex nostratibus Theologis & ipsum *Danhauerum* sententiæ meæ fauere, ut adeo rursus hæc adsertio mea Theologiæ non aduersetur.

Ad. 9. Voluntas hominis, si theologice & forum poli spectes tota ad malum inclinatur, at, si politice & in foro soli rem consideres, fere tota. Nam Ethnici certe uirtutibus moralibus præditi fuerunt, etsi non Theologicis.

Ad. 10.

Ad. 10. Peccata actionum exteriorum in statu post lapsum si uitia status essent, non possent puniri delinquentes; sed omnes se excusarent per statum corruptum.

Ad. 11. Legem de concupiscentia, de qua Apostolus loquitur, positiuam dixi. Hanc adsertionem meam aduersari omni Theologiae duriuscule dicitur. Ipse *B. Scherzerus* expressis uerbis sententiae meae adstipulatur, *System. Theol. Loc. 7. §. 9. p. 54. lit. B.* Accedit *Osiander, in typo legis naturae p. 168.* qui simul ad obiectionem in obseruatione formatam respondet, distinguendo inter legem naturae status primordialis & status post lapsum.

Ad. 12. Quæstio: an actiones physicae sint indifferentes? hactenus probe inter *Pufendorfium* & eius aduersarios uentilata est. Eius affirmatio uero quomodo periculosa uocari possit non uideo, si quis expositionem & limitationes meas attendat. Nota est distinctio Theologorum inter peccati materiale & formale. Quod ipsi peccati materiale uocant, ego actionem physicam uoco, sensu in scholis recepto. Odium Dei & proximi ideo non est exemplum actionis physicae, in uoce quippe Dei & proximi circumstantiae morales latent. Odium uero in se spectatum est actio physica, est peccati materiale, est indifferens.

Ad. 13. Quæ hic de temporali & æterna beatitudine differuntur, a legibus positiuis intensa, iis adsertior. Sed mihi non aduersantur. Quin potius hic repetenda, ea quæ dixi, ad punctum. 6.

Ad. 14. Duo hic notantur: 1) quod dixerim, legem ceremonialem intendere beatitudinem æternam: 2) quod asseruerim, eam omnes homines ante Christum obligasse. Posterius errorem



rem esse fateor, quem iam in discursu ad Institutiones meas correxi, & in emendationibus, sub finem adiungendis, publice corrigam. Est tamen, ut puto, error magis Historicus quam Theologicus. Prius uero quod attinet, quum pleraque in ea lege contenta erant typi ad Christum, atque adeo simul fidem in Messiam respiciebant; sane Deus in eius latione primario salutem æternam respexit, etsi ludæi per eius obseruationem non fuissent saluandi; certe non respexit beatitudinem & tranquillitatem hominis temporalem. Quidquid huius sit; utrumuis hic statui posse credo, saluis fidei articulis & absque scandalo.

Ad. 15. Hæc obseruatio non tam intendit destructionem assertio- nis meæ, quam, an *Grotius* a me dissentiat, adeoque mere historica est.

V.

Joh. Schilterus Spenero.

Jenæ 7 Ianuar 1682. Abuti me eximia humanitate Tua ac tempore Tuo, quod ἐξαιροῦσθε δαι illustri exemplo omnes doces, mihi dudum uiderer, nisi Tuæ, quas toties exosculatus, & de amore atque indulgentia tua certiores me subinde redderent & hæc quoque sacra essent, quæ tractamus, eaque haud uulgaria, sed τῆς ἀγιογραφίας; certe magnum fructum exinde tum experior, tum spero. Inprimis quæ *meis de parallelismo* addidisti, plane recondita, mire me adfecerunt, multumque solatii attulerunt in his, quas quotidie nunc patimur, molestiis. Ceterum, quum quædam ex hæcenus disputatis dilucidiori indigeant explicatione, ipseque sensa animi mei uberiora non ingrata Tibi fore significes; igitur de duobus præcipue capitibus, si lubet, agamus. Primum est, *an aliqua spes sit reliqua reduniendi Ecclesias Germaniæ & Galliæ?* De reliquis Ecclesiis reformatis plerisque, quod non abnuis, si, quorum ea res est, omnes eo neruos intenderent, gaudeo, idque alio tempore a te explicatius doceri expeto; nunc de sola *Romana* uideamus. Atque ipse quoque despe-

C

raui

raui de *aula Romana* & ab ea sola dependentibus ecclesiis *Italicis*, sed de ceterarum rationum, *Germanicæ præsertim & Gallicanæ*, ecclesiis spem nondum penitus decollasse putavi. Ais: impossibile id esse stante primo capite de infallibilitate *Ecclesie Rom. & Concilii Tridentini* auctoritate; neque *Gallos* ausuros tangere hoc palladium. At uero iam dudum hoc attigisse atque percussisse non *Galli* modo, sed & aliæ nationes, mihi uidentur. Constat enim ex *Concilio Constantiensi & Basileensi* auctoritatem *aulæ Romanæ* conciliis subiectam tum fuisse. Etsi uero ista contra audentior iuit, constat tamen porro etiam in ipso *concilio Tridentino* eandem sententiam *episcopos Hispanos* adhuc fouisse. In *Gallia* porro non tantum *senatus regius* semper hoc defendit, sed & *Sorbonna* ipsa non amplius distiteri uidetur; testis est membrum illius *Edmund Richerius in Histor. Concilior. Vniuersali*, & omnes illi, qui *Bellarmini & Baronii* intentionem impugnamdam sibi sumserunt. Neque ignotum est quantæ auctoritatis sit in *Gallia concilium Tridentinum*. Itaque arbitratus fui, non impossibile esse, ut *Rex Gallie*, qui faciem *Carolinarum* temporum desiderare uidetur, iterum aliquod concilium *Francofurtanum* aut *Basileense* conuocaret, atque ad ueteres *canones* atque *capitularia Francorum sedem Romanam*, præsertim, si contingeret eam uacare, ordinaret. Non obscure tale quid *St. Baluzius* mihi uisus est innuere in præfatione *Capitularium*. Certe hanc animositatem, quam *Germani & Galli* superioribus seculis habuerunt, cur non inclinante iam fato, hodieque habeant? Et imo scopum reuiniendi hoc schisma sine dubio habent, spem autem de *mera submissione*, credo, pridem amiserunt. Medium itaque illud præsto sit, ut *canon Constantiensis & Basileensis de libertate Ecclesiarum & Conciliorum contra Tridentinum* renouetur. Atque, quum possibile fuerit sub istis tenebris, quidni hodie in tanta luce *Euangelii*? Hoc fundamento præsupposito, abusus essent examinandi & abolendi, antequam ad dogmata & morum reformationem perueniatur; hæc enim tria inuicem separo omnino. *Dogmata* enim *mera* intelligo, non de abusus, quos & *Confessio* nostra ab illis segregauit, &, ut uidetur, præmittere satius fuisset? abusus dico, qui

qui non solum *theoriam* spectant, sed *dogmata* circa *S. Liturgiam & cultum*, præsertim exterarum. Certe hinc felix reformationis primordium capiebatur, ab *indulgentiis*, & quæ inde dependebant, qui abusus ab ipsis aduersarius agnitus &, ni fallor, abrogatus per *Gallias & Germaniam*. His abolitis, deinde ad emendationem morum cuiusque ordinis & singulorum perueniendum, & denique ad *dogmata* mera u. g. de peccato originis, de iustificatione, de modo *præsentie* carnis Christi in *S. Eucharistia* &c. Certe si *confessio* de his referuata fuisset a *Confessoribus*, & soli abusus taxati; euitatum fuisset, tum schisma *Zwinglii*, quod progressum reformationis ualde sufflamminabat. Si igitur persuaserim, non impossibile esse, ut *Canon Basileensis* reducatur, ut sententia *Parlamenti Parisensis & Sorbonæ* in *Synodo nationis Gallicæ & Germanicæ* communibus suffragiis publicetur; credo in ceteris nobis conuenire. Prius autem confirmant inprimis etiam *sex Propositiones facultatis Theologicæ Lutetianæ de auctoritate Pontificis, confirmatæ sententia curiæ Parlamenti & declaratione Regiæ A. 1663. die 30 Martii, Gallicæ & Latine impressæ*: quarum penultima est, *doctrinam Facultatis non esse, quod S. Pontifex sit supra Concilium Oecumenicum. Ultima: Non esse doctrinam nec dogma Facultatis, quod S. Pontifex, nullo accedente ecclesiæ consensu, sit infallibilis.* Quod reliquum est de iure circa sacra restituendo *S. Potestati* rei publicæ, conuenimus; hoc enim habet religio Christiana præcipuum, ut, etsi non auferas *S. rei publicæ Potestati τὸ κρῶς* circa sacra, temperet tamen; & uicissim res publica unita ecclesiæ, eius libertatem non tollit, sed moderatur, saluis & *Principis & Cleri & Populi* iuribus, ut sententiam meam explicauit in *Instit. Iuris Ecclesiastici Lib. 1. c. 3. §. 15.* cuius exemplar, ut Tibi meo nomine offerat bibliopola noster, iussi. Vale, Virorum Optime, ac me ama. Deus te seruet incolumem, ut de pluribus porro bene merearis & coronam iustitiæ sempiternam a Domino adipiscaris. Iterum Vale.



VI.

Spenero S. Sebast. Schmidius.

Argentor. de $\frac{27}{27}$ Nou. 1682. Quas 16. Nouembr. eurrentis anni ad me dedisti, d. 20. eiusd. recte accepi. Exortum contra Te scribis super *Concionibus de Iustificatione* aduersarium ex pontificiis, *D. Breuingium*, Scholasticum ordinis apud uos Bartholomæani. Audiueram pridem de homine aliqua & scriptum eius inspexi. Ampullatur *Thraso*, quasi *Goliathus* esset. Forte ipse non intelligit, quod scripsit. Videri uult quasi omnem nostratem & pontificiam theologiam deuorasset: adeo mira euomit indignabundo stomacho & crudo. Monstraturum Te illi existimo, quam temere exercitum Iehouæ probro affecerit. Deus bene adiuuet! Ceterum de tribus meam scire cupis sententiam. *Vnum est; quid sentiendum de ordine inter iustificationem & regenerationem?* Exponis mentem quæstionis. Momento temporis utrumque beneficium esse coniunctissimum dubio uacat, ubi uero de prioritate naturæ quæsitum est, non uideo plane inter nostros conuenire. *Rf. 1)* Non omnium Nostratum uerba eadem esse uidemus, quæ in unam mentem conciliari tamen forte possunt: nisi quod nuper aliquod *uiri non indocti* scriptum uidi, quo regeneratio iustificationi præmittitur; sed existimo uocem regenerationis alio, quam communi modo, sumi. *2)* Quidam in eo, quem scriptura aliquando habet, usu uocabulum regenerationis accipiunt cum ipsa *Formula Concordiæ*. Usus ille hic est, quo regeneratio iustificationem includit cum adoptione in filium. Ita apud Apostolum. *Tit. 3, 5. Baptismus est lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti.* Vbi certe regeneratio iustificationem includit: unde mox sequitur, *ut iustificati per ipsius (Christi) gratiam hæres efficeremur iuxta spem uite æternæ.* Quando autem *3)* accuratius ut tu facis, non tam uerba, quam res, spectemus, quo modo se hæc iuxta ordinem naturæ habeant: magis probatur, quod regeneratio iustificationem sequatur sicut effectus causam. Habes breuiter meam sententiam: quam hic non prolixè probabo, arbitror

tror tamen, cum scriptura satis continere. *Ioh. 1, 12.* *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei esse, credentibus in nomen eius.* Sane quando eum receperunt credentes, seu per fidem in nomen eius; iustificati ab ipso sunt: acceperunt enim meritum & iustitiam eius. Postquam uero ita iustificati sunt, dedit eis potestatem esse filios Dei. *Gal. 4.* *Misit Deus filium suum &c. ut eos, qui erant legi obnoxii, redimeret, ut adoptionem filiorum accipiamus.* Vtique ratione applicationis tum, qui legi obnoxii sunt, a lege liberantur, quando iustificantur & a maledictione liberantur. Iam hæc iustificatio & liberatio a lege eum in finem fit, ut adoptionem filiorum accipiamus. Ergo hæc illam sequitur. Sed plura, credo, ultra Tibi, in scripturis uersatissimo, occurrent. *Alterum est: quo ordine Adamus lapsus, ut naturam prius integram concupiscentia praua & peccato corrumpere?* Quæ hic Breuingius habet, quo modo cum Pontificiorum principiis conciliare possit, non uideo. Notum namque est, pontificios meris naturalibus concupiscentiam allicientem tribuere, sed iustitia imaginis diuinæ ita priuare, ut ne mutire uel ullum actum producere potuerit. Quodsi ante amissam iustitiam actum aliquem produxit, oportet iustitiam istam non fecisse, quod facere debebat: hoc uero ipsum grauissimum peccatum fuisset. Verum autem hoc est, quod *Adamus* in natura integra nullam prorsus habuerit concupiscentiam allicientem, adeo, ut nihil potuerit concupiscere nisi uoluntate liberrima. Vnde, si *Adamo* concupiscentiam aliquam integro tribuere uolumus; necessario tribuenda est mere uoluntaria & liberrima, quæ uero cum innocentia eius consistere nullo modo potuit. Sed nec moram inter concupiscentiam uoluntariam & inter comestionem fructus uetiti scriptura docet. *Gen. 3.* Sed dum uoluit & libuit, fumsit. *Tertium est: Quomodo Adamus, & quo iure, Dei filius in statu integritatis fuerit?* In refutando Breuingio eo minus occupabor; quod Te sciam hoc sufficientissime præstiturum. Quum, quid ego sentiam, tantum quæras, dico: *Adamum* sicut & Angelos per ipsam creationem, uel quod idem erit, per concreatam imaginem Dei, factum esse filium Dei: uel, si mauis, fundamentum filiationis,



nis, ut sic loquar, in *Adamo* fuit perfecta sanctitas & iustitia imaginis diuinæ. Aliud namque est ipsa filiation; aliud uero eius fundamentum. Filiationi, si in homine spectatur, respondet paternitas in Deo, ui relationis: sicut notum est. Paternitas Dei uero in amore consistit, quo nos tanquam filios amat, & complectitur. Quos namque Deus ut pater amat, ii filii Dei sunt. Fundamentum uero amoris paterni Dei adeoque filiationis diuersum esse potest. In Christo, filio Dei, est generatio ex diuina patris natura. In *Adamo* integro fuit concreata iustitiæ & sanctitatis cum Deo conformitas, seu imago Dei. Amabat namque Deus *Adamum* tanquam creaturam suam sanctam sibi que conformem. In hominibus autem, peccatoribus post lapsum, fundamentum paterni amoris Dei nostræque filiationis est Christus, seu meritum eius & per hoc reconciliatio cum Deo. *Nos namque Deus pater sibi gratos carosque reddit in dilecto, h. e. in Christo, per quem habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum iuxta diuitias gratiæ sue. Eph. 1, v. 7.* Vnde consequentia non ualet a fundamento filiationis *Adami* integri ad fundamentum filiationis *Adami* peccatoris, & nostræ, qui peccatores ex *Adamo* peccatore sumus: licet nos non minus filii Dei simus in Christo dilecti, quam *Adamus* in imagine Dei integer. Hæc sunt, quibus meam de propositis quæstionibus sententiam exponere uolui. Tuum erit de iis iudicare: neque enim præscriptum uolo. Vale optime, laboribusque Tuis Deus ex alto benedicat.

VII.

Iobus Ludolfus ad Spenerum.

A *ltenburgi d. 26. Mart. 1677.* Gratissima mihi fuit Reu. Tuæ epistola, nuperrime ad me scripta. Pro pio uoto, ut & singulari in me affectu, gratias ago, quas, data occasione, re ipsa habebo. Interim mea studia tibi commendo, quæ ex *sciagraphia Historiæ meæ Aethiopicæ* cognoscere poteris. Duo exemplaria illius procul dubio a Dn. *Iohanne Frischio*, bibliopola, tibi meo nomine tradita fuerunt, quorum alterum Dn. *Wildio Eslingam* mittendum est. In ea reperies Librum III. qui de
Theo-

Theologicis & Ecclesiasticis *Abyssinorum* rebus agit. Ibi multa ex historia primitivæ Ecclesiæ eruenda mihi erunt; reperio enim *Abyssinos* antiquorum rituum pleraque etiamnum usurpare. Quamobrem libentissime cum peritis antiquitatis ecclesiasticæ conferre soleo. Verum totum opus per uniuersam eruditionem diffusum multum temporis & adiutorem idoneum, qui mihi in inquirendis & euoluendis autoribus ad manus sit, requirit. Utinam nostrates, intellecto in tam remotis & barbaris oris Christianismo, plus solliciti essent de colenda sincera religione; cuius neglectum hoc nostro seculo cum omnibus bonis merito deploras. *Folia illa Genealogica Aethiopico caractere scripta, quæ Dn. Rittershusius tecum communicauit, Ao. 1660. a me accepit. Versionem illorum Latinam illi quoque dedi, quam etiam in opere suo Genealogico imprimi curauit. M. Wildium affinem tuum esse lætor: doctrina & bonitate animi iam pridem mihi notus & probatus; nisi ægre feras litteras nostras per manus Tuas commeari; mercedem tabellariorum libentissime soluam. Quam mihi Tomam ad Superint. illius loci commendasti, recte curauit. Quas ad me in posterum destinaueris, uel Dno. Tribbehouio, Consiliario Ecclesiastico, Gotham, uel Dn. Fritschio, Bibliopolæ, Lipsiam, mittas. Singularis etiam confidentiæ testandæ causa celare Te, Vir S. R. nolo, me singulari quodam interno instinctu impelli ad perficiendum opus meum historicum, præsertim, quum interesse uideam rei publicæ tam Ecclesiasticæ, quam litterariæ. Quum uero id præsens mea functio, qua Collegio Rationariorum dirigendo præsum, non permittat; assidue in id incumbo, ut bona Ser. Principis ac Dni. mei gratia ueniam abeundi impetrem. Quo factò nullibi libentius, quam Francofurti, pedem meum figerem, ubi & commercium litterarum cum totius orbis eruditis, simulque omnium librorum copiam habere possem. Vale rectissime.*

VIII.

D. Clodius Spenero Sal.

Giesse d. 25. Octobr. 1675. Reddidit mihi nuper Dn. M. Peters litteras ad me Tuas una, cum tractatu, *Pia Desideria*, quibus gratius nihil mihi



mihī accidere potuit. Illæ enim amorem erga me Tuum, eumque eundem, qui fuerat olim, enarrabant, atque perpetuum fore talem spondebant; Hæc autem, quanto zelo desudes in emendando hoc seculo perditissimo, ostendebant; utrumque tam gratum quam quod gratissimum. Priori paratissima officia repono, posteriori exoptatos successus uiresque & animi & corporis apprecor. Misereatur tandem Ecclesiæ suæ Altissimus, excitetque, Vir Magne, qui tecum militent contra ingruentem Atheismum, & mores seculi Cyclopicos; sospitet te quam diutissime, ut multos possis παραζηλωσαι ad agendam causam Dei feruidius, quam hætenus a pluribus est factum. De reliquo *Hutbīus* noster tum ob morum pietatem ingenique dotes, tum uero, quod Tuus olim fuerit, & adhuc sit, mihī est gratissimus. Vfus est informatione mea per æstatem in Biblicis, ubi diligentem & attentum deprehendi. Iam ad Rabbīnica pergit, in quibus ut feliciter decurrat, iuuabo modis omnibus. Obtulit, & forsā offeret in posterum, non nihil, pro labore atque informatione, honorarii uel didactri, quod recusauī hac uice, & in posterum me recusaturum hisce prædictum uolui. Iubeto ergo iuuenem sine cura esse, meisque frui laboribus pro lubitu, abstinere uero ab huiusmodi, quum ea sim mercede contentus, quod prodesse possim ei, qui Tuus est, quemque tu adiutum cupis. De auctore libri cabbalistici ex *Sobar* uel excepti uel uersi, quæ narrasti, grata fuerunt. Rogitarem, ni qua molestum, ut, si qua ulterius innotescat homo, communicare ne graueris. Titulus ille sesquipedalis, nescio quale supercilium præ se ferat, ut fere dubitem, quin uerear, ne prologus epilogo fiat grauior. Liber ille *Sobar*, inter Iudæorum scripta, me iudice, est antiquissimus. Nam, quæ de *Sepher Iezira*, quem *Abramo Patriarchæ* tribuunt, *Iudæi* narrant, meræ sunt aniles næniæ: *Bahir* autem, quamquam partem eius habeam, dubito tamen eam & γνησιως talem, atque sic de uera libri uel auctoris ætate mihī nondum constat. Quæ autem *Capellus*, *Drusius*, *Walterus* de nouitate τὸ *Sobar* effusius detonarunt, & auctoritate caret, & suspectum est, quum ita oporteret, nisi thesin de recens inuentis uocalibus uelint deserere. Interea scriptum est profecto omnium difficillimum, siue uoces, siue phraſeologiam

giam, siue rem ipsam spectemus. Magnam me ipsius partem, tum Marte proprio, tum ductu quondam Venerandi mei Præceptoris, *Ezardi*, perlegisse, liquido gloriari possum; at multa occurrisse in hac parte nondum maxima, *δύσγνωστα* immo abstrusa plane, quæ nondum intelligo, fateri non erubesco. Iudæorum hætenus neminem uidi, qui interroganti mihi met de hoc libro, non responderit solitum illud: *Reuelabit hoc Elias, quum uenerit*, adeo, ut laborem illum auctoris futurum iudicem omnino utilissimum. In hoc unico codice deprehendi *Christianismi* uestigia & testimonia, quod in aliis sæpe pluribus non reperi. Vereor autem, ut dixi, ne hic fetus promissus tantum sit rei futuræ prodromus, atque sic in ipso prologo desinat fabula. At uidebimus; de futuris nimirum iudicare non licet, nisi ei, qui solus nouit omnia. *Res uestiaria* Iudæorum lucem desiderat. Animandus est *uir ille egregius*, ne ab incepto desistat, calcabitque uiam, quam nemo hætenus ingressus est. Utinam omnes hebraicarum rerum periti ad eruendas antiquitates eruendosque commentarios antiquiorum se accingerent, & quæ reperissent, unanimi consensu contra *Iudeos* propalarent, afferentes singuli singula sua tamquam ad commune incendium. Etsi autem huiusmodi non nisi argumentum *κατ' ἀνθρώπων* suppeditent, uti tamen iis possumus contra *Iudeos* tutissime, quod & ipse sum expertus; nec minus Christianum in fide confirmare ualent, si ubique ueritatis nostræ consensus & assensus demonstraretur. Tentarunt huius consilii nonnihil *Hieronymus de sancta fide*, *Galatinus exscriptor*, *Hornbeck* & alii; sed omnium optime *Raymundus in pugione suo fidei*. Cui quidem scripto, si de nouo conscribere non liceret opus, addi possent, quæ post eum eruuntur. Et certe, quod mihi ab Altissimo concessum est *χαρισμα*, conferam posthac bono cum Deo omne in tale aliquod scriptum, ut in numero habeamus, quibus os obturare possimus *Apelle*, tum ex *script.* tum ex scriptoribus domesticis. Iam autem *Bibliorum* editioni inhæreo, quod Tibi Vir S. R. ignotum non erit, qua, ut spero, feliciter excusa, forsan *Philologum uindicem* euulgabo, qui dicta Biblica, quantum ex Philologia potest subministrari, ab obiectionibus uindicet, rationibus, tum ex usu linguæ, tum ex contextu, desumptis, roboratis singu-

D

lis

lis analogia linguæ &, quod primarium foret, *Hebræorum* auctoritatibus; qua in re præiuit *Antecessor* b. m. *Heluicus* quoque frustulatim, quum singula uberrime demonstrare necessum foret. Eius nuper mihi specimen *Francofurtum*, quod editorem non reperit. Iam per *disputationes* publicare laboro, ita tamen, ut iustus euadat tractatus. Hæc uiam sternerent ad uictoriam Iudaicam; sæpe enim contentio maxima est de dicto. Ne igitur uno libro uel concisim & mutila adducantur, uel in nimiam excrescat opus; philologica argumenta pro dicti genuino sensu hoc pacto colligenda censerem. Sed de his & aliis, alias, si Tuus in me id permiserit amor iusseritque, plura iudicanda perscribam. Vale Vir Excellent. & in Ecclesiæ incrementum ac emendationem uiue quam diutissime.

P. S. De Editione *Bibliorum Hebræorum* si quid habes monere, candidus, quæso, impertire. Lectiones uariantes, quas sub columna posui, ad calcem libri religandas iudico, ob spatii angustiam: quod si arridet, auctoritate Tua & Typographo idem persuasum ito. Vale.

IX.

Ioh. Buxtorfius Spenero, S. D.

Basil. 5 Martii 1660. Hesterno die litteras Tuas accepi, quæ mihi fuerunt gratissimæ, & mihi indicarunt Te, quem *Tubingæ* esse arbitrabar, adhuc *Argentinae* morari. Adeas statim respondeo per *D. Miegium*, qui ad uos reuertens hic hibernauit. Cupit is una cum itineris socio *Dantiscano*. S. Th. St. Bibliothecam Academicam *Argentorat.* uidere, quam ad rem tu procul dubio uiam ipsis monstrare poteris. Ceterum ad me quod attinet, sæpe dolebam, conuersationem nostram in acidulis, tam uiolento casu, abruptam esse, maxime, quod non licuerit *Illustrissimo Comiti* pro multis gratis mihi immerito exhibitis gratias agere, & prout decebat, ualedicere, & bene precari. Id ut, occasione data, per te fiat, & pro omnibus in me collatis beneficiis gratias maximas me submisisse agere, eidemque & *Illustrissimæ* toti eius domui me felicitatem parem & diuinam benedictio-

ditionem omnimodam toto animo precari atque eius Illustr. gratiæ ac fauori me commendare, significes, quanto possum, opera Te contendo. Neque prætereundus mihi est Dn. D. *Junta*, qui prima sanitatis meæ recuperandæ fundamenta sua arte feliciter iecit, atroci morbo depulso. Utinam occasio daretur ei uicissim pro fideli opera & consiliis salutaribus gratitudinem debitam testari. Id me operam daturum cum officiosa a me salute, quæso, per Te resciat. Iter, quod ipso dissuadente susceperam, significa feliciter cessisse per diem, sed nox mihi erat grauis *Hapsæmi*. Gratia sit Deo, qui mei misereri uoluit præsentemque, ut multi ominabantur, mortem hac uice a me depellere. Faxit idem, ut beneficium eius tam in castigando quam in sanando cognoscam, & quod reliquum erit uitæ, ad ipsius gloriam referre queam. Valetudine hæctenus uxor mediocri, sed, ut uerum fatear, multum decessisse sentio uiribus & sanitati ad labores sustinendos. Animaduerto fere, ad omnia me in dies fieri tardiores, seigniores & difficiliorem, ut de futuris nihil mihi uel aliis polliceri queam. *Filius meus* recudit *Dissertationes meas*, quibus animus est *alias* addere, præsertim in *decalogi præcepta*: sed nihil uel dicere uel promittere audeo. Fiet interea, quod Deus dabit. Ostendam saltem, dum uiuo, me non prorsus otiosum esse, sed publico prodesse cupere, diuina me iuante gratia.

De uexillis, coloribus, insignibus, inscriptionibus &c. Israelitarum uaria apud Hebræos leguntur, eos præsertim, qui in *Pentateuchum* scripserunt ad *Numer. 2, 2. singuli iuxta uexillum suum*. Videatur *Zohar ibi, Rabb. Bechai, Chabkumi, aliique*. Plerique omnes putant 12. fuisse uexilla iuxta tribuum numerum. Solus *Abarbanel* ab illis dissentit, qui uult, non nisi quatuor habuisse, uti uidebis. Sed quia hac ipsa hora ad senatum Academicum uocor; non licet nunc plura, nisi hoc adhuc unum, ut me apud Illustrissimum & rari exempli *Principem*, cuius in me gratiam sæpius mihi laudat Dn. *Efencolin*, demisse commendare deuotique mei in eius Celsitud. animi significationem, ubi occasio dabitur, coram prolixè explicare uelis. Vale, Amice Honoratissime, meque Tui amantissimum constanter amare perge.

X.

Frid. Molanus Spenero.

Genevæ 18. Jun. 1661. Constantiam Tuam in semel suscepto amore mei litteræ Tuæ, Virorum Nobilissime, palam faciunt; quo magis verendum mihi est, ne, quantum eo nomine tibi debeam, parum uidear intelligere. Sed ero semper tuus, tuo tibi ære quæsitus, partus, mancipatus. Sed quid ad Te redibit inde commodi, nisi, ut, quæ in me singulis prope diebus contulisti & adhuc confers, beneficia, male ea collocata haud putes, quippe in rem Tuam, quæ ut in dies augeat, crescat, meliorque fiat tua procul dubio intererit. Perge igitur & me amare, meique curam in te suscipere. Nihil a te, quod non gratissimum. Nemini ego eorum concedam, qui te amant aut bene tibi cupiunt; nemo, inquam, illorum est quo hac in parte sim inferior. **Explicatio Magnifici Dn. Feschiæ monetæ meæ Massiliensis aliarumque**, Deus novit, quam grata mihi fuerit. Eo igitur nomine Tibi amicorum optime & Magnifico illi Viro grates ago gratissimas. Si unquam cælum tam propitium mihi redderetur, ut oraculo isto per horam aut duas præsens uti possem, Deus bone, quam felicem me prædicarem? De *Tribonianis, Gallis, Trajanis, Hadrianis, Antoninis piis, Vespasianis, Constantiis, Constantinis, Triumviris, Liciniis, Gratianis, Gothicis* (quorum adhuc insignem accepi) *I. Cesare, Otacilla, Anastasis, Volufianis, L. Rutilio, Divis Augustis* item de *Balbo* argenteo, cuius formam & inscriptionem addidi, De hisce quid *Magnificus ille Vir* sentiat, nisi graue fuerit, scire maxime desidero. Vides, mi *Spenero*, quam familiariter te habeam, quod ne facerem, nisi persuasum animo meo esset ualde me abs Te amari. *Iulia mea Augusti*, est rarissima, ut ipse *Dn. Feschius* iudicauit. (*) Nummi mei cuprei post discessum tuum felicissime creuerunt, plures enim de maioribus quam
trigin-

(*) Ipsismet figuris æri incisiss Lectori monetas illas ita repræsentare animus erat, ut *Molanus* eas in epistolæ suæ margine pictas dederat; tempore uero exclusi subsequuturis huiusce Auctoris id reseruatam uolumus.

triginta accepi, & adhuc in dies accipio, qui omnes nondum muniti pro nummis bonæ spei habentur. Promissum *Gordianum* & desideratum Titulum *Savori* transmitto, qui talis est: *Discours sur les Medailles antiques par M. Louis Savor Medecin du Roy. A Paris MDCXXVII.* Quæ sui hunc Auctorem diligentissime apud Dnos *de Tournes*, Mess. *Chouet* reliquosque; sed nondum potui inuenire. Si forsân adhuc occurret, transcribam; sed moror Te, *Eruditissime Virorum*, Tuæque studia. Vale igitur & me ama, qui te colere & obseruare numquam cessabo. Magnificos Dnos *Rebhanium* & *Feschium*, qua possim, obseruantia saluto. Dn. *Harsen* & Dn. *Sarrazin* ex animo te salutant & bene rem gerere, & ualere Te, quod & meum est uotum, quodque a Deo O. M. incessanter peto ac contendo, rectissime iubent, Vale.

M A N T I S S A

duarum Epistolarum itinerariarum

Christiani Keuchenii (*) ad Spenerum.

Geneua 10 Oct. 1660. Silentii mei causa hætenus, si mireris forte, ea est, quod nuntius ordinarius, qui semel hinc septimanatim *Basileam* tendit, tertio die post nostrum aduentum, quo tempore aliæ adhuc curæ animum uoluebant, abierit. Interea temporis rem nostram in ordinem quemdam redegimus & iam ea tractamus exercitia, quæ nobis hic inchoanda statueramus, tanto maiore cum feruore, quanto magis ipsa *Galliæ* uiscera intrare properamus. Paucis ergo tibi delineabo successum nostri itineris per *Heluetiam*. Post discessum uestrum *Aguas Helueticas*, locum sane amœnissimum, transiuimus, sub uespera *Schaphusi* suscepti humanissime sumus. Præfero iure incolarum humanitatem. Turre hic digna uisu est fortissima die *Binnad obn Noth* dicta, quæ instar citadellæ urbem defendere, imo totam destruere possêt. De *Rheni* præcipitantia nihil dico. Altero die *Steinii Rhenum* iterum transiuimus. Oppidum id est haud inelegans, uallo cinctum, trans *Rhenum* in extremo rupis castrum habet, cuius custodes nos explosione tormenti salutabant. Hinc *Constantiam* tendebamus, ubi inter cetera notabiliora, *Ioh. Hussi* carcerem, locum

(*) Pedagogs is erat L. B. de Bilander, cuius tunc comes in itineribus ad externos erat,



cum degradationis, ut dicunt, & locum sepulturæ uidimus. Sed quod in hoc nec gramen, nec herba ulterius crescat, mera fabula est. Hic in collegio *Iesuitarum* est uir insignis D. Pater *Beckius*, qui ceteros & experientia, quam sibi multa peregrinatione acquisiuit, & humanitate erga extraneos longe excellit, cuius ductu & recommendatione undique ad secretiora etiam admissi sumus. Tertio die *Frawenfeldæ* & per noctem *Vuoduri* quieuius, ubi in curia insignem fornacem miraberis, cuius similem uix alibi reperies. Quarto mane *Tuguri* eramus, ubi senatus nos multo honore affecit. Non enim solum iussit ea, quæ in hac urbe uisu digna sunt, inter quæ præcipuum est *Armamentarium* & *Bibliotheca*, nobis monstrari, sed & præter oblationem multi uini duos ex ordine deputauit *pour nous entretenir*. Sed hæc omnia nihili facio, dum recordor humanitatis, officii, fauoris, & honoris, quem accepimus a Viro Pl. Reuerendo Dn. *Huldrico*, Pastore ibidem primario; de quo summo uiro alia uice scribam. Id solum dico; princeps hic est patronus peregrinantium. Quinto die montem *Heitersperg* præcipitem in superl. gradu transcendimus; hinc per *Melingen* ad *Rufam Lensburg*, oppidum a cuius sinistra castrum fortissimum est *Aralo*, *Schonewerth*, circa noctem *Olsen* oppidum *Sotudurensum* peruenimus. Sexto circa meridiem *Soloduri* eramus. Ibi in turre uetustissima scriptum est:

*In Celtis nihil est Soloduro antiquius unis,
Exceptis Treuiris, quorum ego dicta soror*

Et aliquot germanici uersus, qui poterant non legi. Hora octaua uespertina *Bernam* peruenimus, ubi *armamentarium*, *Bibliothecam*, *curiam*, *ursos* &c. uidimus. Nulla hic humanitas est, nisi penes solum *Bogdanum* Med. Doctorem. Septimo die *Murbam*, octauo *Moudon* seu *Miltren* uenimus. Nono montem *Iuram* transcendimus; circa meridiem *Lofannæ* & circa noctem *Rollii* fuimus. Decimo tandem die, Deo sint laudes, salubres *Geneuam* circa primam appulimus, itinere & pessima tempestate, quam etiam uix peiorem sperare potuissemus, ex parte fessi. Plura hac uice scribere nequeo. Saltem rogo, ut omnes, quos nobis amicos sciueris, nostro nomine humanissime officiosissimeque salutes, inprimis Clarissimos Professores & inter eos præcipue Magnif. Dn. *Buxtorf*. iam Rectorem, *Brandmüllerum*, *Feschium*, & *Zwingerum*, *Fabrumque* cum suis commensalibus omnibus. Vale, Amice optime, eumque, qui te amicitus amat, amare pariter numquam desinas.

Altera.



ALTERA.

Geneue Cal. Maji 1660. Describendam nuper tibi partem itineris nostri per Helætiā, sed, quum iam essem Tiguri, interrumpēbar; quare restat, ut hinc Geneuam pergā. Tiguri itaque salutabis nostro nomine officiosissime Reu. Huldricum, Ecclesiæ Antistitem, ipsique pro uariis, quas nostra causa habuit, curis gratias habebis maximas. Is tibi monstrabit inter alia poculum Zwinglii, Colloquium Marpurgensē in origine, propriis manibus subscriptum ab Oecolampadio, Zwinglio, Bucero, Iusto Iona, Luthero, Melanchtone &c. exhibebitque plurimas litteras familiares a primis illis reformatoribus, ut & Principibus, Saxonie, Palatinatus, Hassie, ad Dn. Zwinglium & eius successorem, Bullingerum, scriptas, quibus nihil gustui tuo magis accommodatum per Heluetiam inuenies. Armamentarium Tiguriensē cetera Heluetie præcellit. Videbis in illo arma Tellii, arcum, inquam, sagittam & pugionem, quibus usus fuit, quum filiolo pommum de capite sagitta traiceret. In Bibliotheca miraberis opera quædam Mathematici adhuc ibi uiuentis, cuius nomen memoria excidit. Hinc montem Heitersperg maxime præcipitem transcendimus, tum Meltingen, Lentzburg, ubi arx fortissima sub ditione Bernensium, Aralo, Schonenwerth transiuimus & ab Olten, oppido Solodurensi, Solodurum peruenimus, ubi turrem illam antiquissimam in medio urbis sitam spectauimus, cui inscriptum latine: *In celtis &c.* Templum maius & Hotomanni monumentum ibidem uisu dignum est monstrabiturque tibi in introitu coemeterii bina columna *Fouis & Hermetis* ex monte, dem Hermesbühel, qui urbi proxime adiacet, huc translata, cuius inscriptio legenda est. Hinc *Frawenbrunnum*, ubi in plano campo monumentum exstat tale:

*Vxoris dotem repetens Cassinus amata
Dux Anglus, Frater quam dabit Austriacus,
Per mare traiecit, ualidarum signa cohortum
Miles ubique premens arua aliena iugo.
Hoc rupere loco Bernates hostica castra
Multos & iniusto Marte dedere neci.
Sic Deus Armipotens ab apertis protegat Vrsū,
Protegat occultis hostis ab insidiis. 1648.*

1373. Auf Johannstag, Der um die Weinacht war, zu Frawenbrunn ward durch die von Bern vertrieben Das Englische Zeer, davon 800 todt geblieben, Die man in diesem Land die Gulicher genennt, Auch darinn noch vielmehr zerschlagen und zertrennt, Der Zerr, so diesen Sieg aus Gnaden hat beschehret, Sey drum hochgepreiset und geehret 1648. Berne



Bernæ templum maius & in eo *trophæa*, *armamentarium*, *Bibliotheca* & *Anatomia*, *ursi* & eorum educatio uisu digna sunt. Est quoque urbis elegans structura, cuius similem in *Germania* uix reperies. Præterquam enim, quod ædes ex saxo quadrato superbe satis exstructæ sunt, tutus etiam ab omni aeris intemperie urbem perambulare potes. Sed obstupesces si tibi monstrabitur prope templum manus altitudo horrenda, ex qua nuperis annis iuuenis quidam prolapsus, brachio saltem fracto, saluus euasit. Cetera fastuosam quidem incolarum morositatem, sed uix ullam humanitatem, hic reperies. Inde *Murathum* petes, oppidum haud inelegans, ubi prope lacum ædícula, in quam ossa occumbentium *Burgundorum* reposita sunt. Inscriptio itidem duplex est, Latina & Germanica. Hæc a me lecta non est, illa erat talis;

Deo. O. M. Caroli incliti & fortissimi Ducis Burgundiæ exercitus Murathum obsidens ab Heluetiis cæsus hoc sui monumentum reliquit 1476.

Tum *Wifflesburg* uenitur, ubi rudera plurima in campis sunt, *Peterlings Schulz* oder *Jaghunde*, ubi ephippium *Iulii Cæsaris* cum hebena & calcaribus uideri potest. *Milden s. Moudon* ubi transeundus mons *Lura*, uia non iniucunda quidem sed aspera. *Lausanna* templum maius elegantissimæ est structuræ, cuius interiora omnia fere ex marmore constant. In illo fraudes Episcoporum tibi ostendentur. Præfectus ibi est *Nobilissimus Lentulus*, qui ex antiqua Romanorum familia descendens stirpem suam huc usque demonstrare potest. Nobis fortuna sic non fauit, ut uirum illum humanissimum compellere potuissemus, jam enim absens erat. Hinc iam a dextra iucunda planities, a sinistra locus *Lemanus* & sic per oppida notiora uia amoenissima *Geneuam* usque est.

Quod reliqua attinet in descriptione illius monumenti, quod *Königsfeldæ* exstat, errasti. Non enim *Luzen*, sed *Catharina*, eine Tochter *Herzogin, von Lüsün*, legitur. Versus uero *Mulhausii* lecti, hi sunt:

*Sollothurn der Alte Stamm, By Abram Zyt syn Uhrsprung nam,
Als Ainus der erst Monarch was, Wie uns die Bücher zügend das,
Trier in Sirien Nam sy sin, Sy will alzyt ihr Schwester zyn.*

Nunciatum heri ex *Sabaudia* Dn. *Mansini Cardinalis* cognatum esse declaratum Episcopum *Geneuensem a Papa*, & hunc obtulisse *Auignon* cum appertinentiis Cardinali *Mazarino* sub conditione, si *Geneuam* expugnaret. Sed hoc nos non mouet, ino animi nostri sunt *a la Saguntine*. Tantum abest, ut pax inter *Suecos* & *Hollandos* firmiter conclusa sit, ut illi ab his iterum magnam cladem passi sint, referuntque *Parisenses* tres *Suecorum* naues periisse & quindecim ab *Reutero* captas esse. Deus omnia bene uertat, cui te semper commendatum animitus cupio.

Tantum!





Af 6029

ULB Halle

3

004 065 999



D

Mi



